

blica. — Dicitur secundo, *de jure communi*; quia jure speciali plurium diocesium semper requiritur auctoritas iudicis; quando sponsalia publica et notoria sunt; ut de Constantiensi, et Mechlinensi testatur Gobath, et de Frisingensi patet ex ejusdem rituali novo, Art. 1. *de Sponsal.* in fine, idque ad lites, et controversias evitandas.

311. *Quando causa dissolvendi est dubia, etiam de jure communi requiritur auctoritas iudicis. Nemo est iudex in propria sua causa.* — Resp. II. Quantum sponsalia sunt certa, causa dissolvendi autem dubia de jure, vel de facto, iudicis necessaria est auctoritas pro utroque foro. Ita doctores citati cum communi. Ratio est, tum quia « nemo est iudex in propria causa, » *un. C. Ne quis in sua causa.* Tum quia in pari causa potior est conditio possidentis, *c. LXV, de Reg. jur.* in 6, et l. XII, CXXVIII, ff. *de Reg. jur.* consequenter cum unus sit in possessione sponsalium, non potest per alium ob causam dubiam privari.

312. *Ad probandam dissolvendi causam, quæ est impedimentum dirimens, vel impediens, sufficit confessio utriusque sponsi.* — Quæritur IX. Qualis probatio requiratur pro dissolutione sponsalium? Ante responsum notandum, aliud esse, si in causa dissolvendi allegata est impedimentum impediens, vel dirimens matrimonium, uti v. g. esset consanguinitas, aut affinitas ob fornicationem sponsi cum consanguinea sponsæ, aut votum castitatis ante sponsalia emissum, etc. Aliud vero, si talis causa nec impedit, nec dirimit matrimonium, sed tantum præbet facultatem dissolvendi, prout foret fornicatio sponsi cum altera non consanguinea, aut alia causa, de quibus hactenus. H. N. Resp. I. Si causa ad dissolvendum producta est impedimentum impediens, vel dirimens matrimonium, tunc ad eam probandam sufficit confessio utriusque; imo etiam unius sponsi, qui matrimonium contractum optat; sed non illius, qui eidem resistit. Item sufficit fama a fide dignis orta: quin et unus testis extraneus cæteroquin inhabilis. Conclusio habet plures partes. Prima pars, quod utriusque confessio sufficiat, caret omni controversia. Ratio est, quia esto causa vere non subsisteret, adesset utriusque consensus ad solvenda sponsalia, uti bene observant Guttierrez, *de Matrim.*, cap. xxxvi, num. 18; Menochius, lib. II, *de Arbitr. judic.*; Sanchez, lib. I, disp. 72, num. 2; Castro Palao, *de Sponsal.*,

disp. 1, punc. 32, num. 2. Mutuus enim consensus per se sufficiens est ad solvenda sponsalia per dicta, n. 203.

313. *Imo unius matrimonium affectantis.* — Secundam partem, quod sufficiat testimonium unius ex sponsis, qui matrimonium exoptat, docent doctores num. præced. allegati, et Mascardus, *Concl.* 1035, num. 17 et 18. Abbas, in *c. Super eo. de Testib. et Attestat.* cum communi aliorum, arg. *c. Attestat.* 10. *de Despons. Impub.* Ratio est, quia hoc ipso, quod matrimonium affectans confiteatur causam dissolvendi, et alter matrimonio alias resistat, rursus utriusque videtur adesse consensus, uti bene advertunt doctores citati. Secus est, si testimonium de causa ferat solus ille, qui matrimonio resistit, altero idem affectante, ita citati doctores. Ratio est, quia cum in tali casu ferat testimonium in suum favorem, et alterius præjudicium, ei soli credendum non est, uti bene advertunt citati doctores, arg. *c. In omni 4,* et *c. Licet.* xxiii, *de Testib. et attestat.*

314. *Et fama legitime probata.* — Tertiam partem, quod etiam fama probetur, docent doctores jam citati, arg. *c. Super eo. de Consanguin. et Affinit.* ibi: « Si fama loci hoc habet etc. debet absolvi, » et ibi. Abbas cum communi aliorum: ut tamen talis fama probet, debet esse legitime probata, uti bene observat Guttierrez, loc. cit., num. 14; Castro Palao, loc. cit., n. 7, nisi impedimentum esset notorium, Sanchez, loc. cit., n. 15, juxta textum, et Glossam, l. I, C. *Qui, et adversus quos.* Cæterum quæ ad probationem famæ requirantur, vide lib. II, tit. XX, *de Testib. et attestat.* § 12.

315. *Sufficit etiam testimonium unius extranei, etsi inhabilis.* — Quartam partem, quod sufficiat etiam testimonium unius, etsi alias inhabilis, et propriam turpitudinem allegantis, tenent Guttierrez, loc. cit. n. 2; Castro Palao, loc. cit. n. 3; et Mascardus, loc. cit. n. 3, et teste Guttierrez omnes: claris juribus *c. Præterea*, 12, h. t. ubi sponsalia ex hoc solo dissoluta sunt, quod unus consanguineus sponsi deposuerit, se cum sponsa prius copulam habuisse, et *c. Super eo.* 22, *de Testib. et Attestat.* ubi ad unius mulieris testimonium de consanguinitate sponsorum affirmantis dissolvebantur sponsalia. Ratio est, quia, cum in tali casu agatur de impediendo peccato, et animæ periculo, sufficit unius testimonium, arg. cit. *c. Præterea*,

12, h. t. ibi: « Ne deterius inde contingat. »

316. *Dummodo jurato deponat, et non sit persona vilis.* — Ut tamen unius testis in hoc sufficienter probet, requiritur primo, ut jurato deponat. Castro Palao, loc. cit. n. 4; Guttierrez, loc. cit. n. 8 et alii. Ratio est, quia agitur de præjudicio tertii, in quo casu nulli, nisi jurato creditur, etsi agatur de vitando peccato. Sanchez, disp. 71, n. 10 et alii communiter, arg. *c. Tua de Cohabit. cleric.* Secundo requiritur, ut jurato deponat ex certa scientia, Guttierrez, loc. cit. n. 9; Palao, loc. cit.; Sanchez, loc. cit. Ratio est, quia alias tantum esset testis de auditu: consequenter insufficientis, etsi deponens diceret, se audivisse saltem a duobus suis majoribus, distingueretque gradus affinitatis et consanguinitatis juxta *c. Licet ex quadam. de Testib.*; tunc enim solus sufficeret, ita doctores citati.

317. Tertio requiritur, ne ille unicus testis sit vilis persona, Sanchez, cit. disp. 71, n. 12; Abbas, in *c. Propterea*, 12, h. t. in fine; Guttierrez, loc. cit. n. 12; Palao, loc. cit. n. 4, cum communi. Ratio est, quia vilis persona neque ad denunciandum admittitur (etsi agatur de vitando futuro peccato) nisi factum sit ita clandestinum, ut non nisi per vilem personam probari valeat, ut probat textus cum Glossa, *c. Cum dilectus. de Elect.* et *c. Præterea. de Testib.* Hinc an, et quando unius testimonio fides adhibenda sit, sæpe arbitrari debet prudens iudex, qui consideratis qualitatibus, et circumstantiis personarum, in specie etiam, an placeat, vel displiceat tali testi matrimonium, judicabit. Sanchez, loc. cit.

318. *Quomodo habere se debeat, qui scit occultum impedimentum inter sponsos?* — Porro, quomodo talis, qui solus occultum impedimentum sponsorum scit, habere se debeat, bene cum aliis practice docet Guttierrez, loc. cit. n. 3, dicens, talem, etsi impedimentum occultum probari nequeat, teneri illud denunciare, ea tamen cum distinctione, ut, si impedimentum proveniat ex crimine occulto, monere prius in occulto debeat ipsum criminis reum, ut a contractu absteat, et infamiam vitet: Si vero hunc admonere non expediret, vel admonitus non acquiesceret, monendi essent viri timentes Deum, parentes, consanguinei, amici, etc. ut eum persuadeant. His autem nihil efficientibus iudici denunciari deberet; quod ultimum statim facere potest, si impedi-

mentum non a crimine provenit; quamvis etiam illis præambulis uti bene valeat.

319. *Unus testis sufficit, etsi sponsalia sint jurata.* — Cæterum Glossa, in *c. Super eo. de Consang. et Affinit.* §. Fama limitat quartam partem conclusionis n. 315, positam, quando sponsalia sunt jurata: Glossa sequuntur plures a Sanchez, et Guttierrez, loc. cit. allegati, arg. *c. Præterea*, 12, h. t. ubi habetur, sponsalia testimonio unius solvi, « nisi sint jurata, » et *c. Cum tua*, h. t. ubi præter testem requiritur fama ad solvenda jurata sponsalia. Verum Palao, loc. cit. n. 6; Guttierrez, loc. cit. n. 8; Sanchez, cit. disp. 71, n. 8, cum communi, et probabiliori aliorum hanc limitationem rejiciunt, et dicunt, etiam jurata sponsalia testimonio unius de impedimento ex certa scientia jurato deponentis dissolvi. Tum quia *c. Super eo. de Testib. et Attest.* absolute ac indistincte decernitur, testimonium unius ad impedimentum probandum sufficere. Tum quia juxta ipsos etiam adversarios sola fama sine concursu testis sufficienter id probat; ergo etiam unus testis; cum hic integer æque, imo efficacius probet, ac fama, ut in confesso est, et videre est apud Sanchez, lib. II, *de Matrim.* disp. 45, n. 77 et constat ex dictis lib. II, tit. XX, *de Testib.* § 12.

Nec obstat *c. Præterea*, 12, h. t. quia ibi allegatur testis non omni exceptione major, quem solum ad probandum contra sponsalia jurata non sufficere, transmitti potest. Pariter non obstat *c. Cum tua*, h. t. quia ibi testis tantum denunciavit, non autem deposuit, prout bene advertunt Sanchez, Guttierrez, Palao, loc. cit.

320. *Contra matrimonium jam contractum unus testis non sufficit.* — Dices, ad probandum impedimentum contra matrimonium jam contractum non sufficit unus testis, sed requiruntur duo, *c. Licet de Testib.* et *c. 1, de Consanguinit. et affinit.* ergo etiam contra sponsalia. Resp. negando consequent. et paritatem. Disparitas est, quod esto etiam in casu matrimonii jam contracti agatur de vitando peccato futuro, agatur tamen de jure jam quæsito ac possesso tollendo, simulque de vinculo dissolvendo, quod per se indissolubile est. Hinc mirum non est, si contra illud fortiores probationes requirantur.

321. *Si causa dissolvendi non est aliquod ex impedimentis matrimonii, tunc ad eam proban-*

dam requiruntur duo testes, aut alias plena probatio. — Resp. II. Si causa resiliendi non est aliquod impedimentum dirimens, vel impediens, sed tantum facultatem præbet dissolvendi sponsalia, nec sola fama, nec testimonium unius etsi jurati, et omni exceptione majoris testis sufficit, sed requiruntur duo testes omni exceptione majores, vel alia æquivalens plena probatio. Gutierrez, loc. cit. n. 17; Sanchez, disp. 71, n. 7; Palao, loc. cit. n. 8; Coninck, dub. 11, concl. 4, n. 5; Perez, et alii contra Paludanum. Ratio est, quia in tali casu non agitur de vitando peccato futuro, ob quod solummodo sola fama, aut unius testimonium pro sufficiente probatione accipitur, cit. c. *Super eo*, et c. *Præterea*. Hinc ratione et causa hac cessante, recurrendum ad communem juris dispositionem, vi cujus ad probandum in præjudicium tertii semper requiruntur duo testes omni exceptione majores, aut æquivalens plena probatio, arg. l. *Ubi numerus*. 12, et l. *Jurejurandi*. 9, c. *de Testib.* juncto c. *In omni*. 4, et c. *Licet*. 23, de *Testib. et Attest.*

322. *Qui resiliit justa de causa proveniente ex alterius culpa, ad nullas tenetur huic impensas; quin potius hic obligatur illi ad expensas.* — Quæritur X. An ex justa causa resiliens a sponsalibus teneatur ad expensas ab altera parte factas in ordine ad futurum matrimonium, puta ad præparandam consuetam solemnitatem et pompam, ad procurandam dispensationem, ubi opus est, et similia? Resp. I. Quando justa causa resiliendi provenit ex culpa unius (quia v. g. fornicatur aut ex delicto infamiam contrahit, aut qui defectum, quem juxta n. 301, patefacere debuisset, inique abscondit, etc.) non tenetur pars altera ad ullas expensas. Bosco, p. V, disp. 12, sect. 2, concl. 14; Sanchez, lib. V, disp. 5, n. 33 et 34, cum communi et certa aliorum. Patebit conclusio ex sequenti, ubi dicemus juste resilientem etiam tunc non teneri alteri in expensas, quando causa dissolvendi absque culpa alterius supervenit. Interea hic addendum, quod secundum Sanchez, loc. cit. n. 34; Bosco, loc. cit. n. 270 et alii doceant, in casu, quo quis justa de causa proveniente ex alterius culpa v. g. fornicatione, resiliit, teneri hunc etiam resilienti in expensas. Ratio est, quia innocens tunc non libere, sed coacte ad evitandam infamiam, aut aliud damnum resiliit, cujus causam iniquam pars altera posuit;

consequenter sicut qui injuste resiliit, seu sponsalia injuste solvit, tenetur alteri in expensas; sic qui inique causat, quod alter resiliere debeat, ad idem tenebitur.

323. *Neque tenetur ad expensas alteri, qui ex justa alterius causa proveniente resiliit.* — Resp. II. Qui ex justa causa resiliit, non tenetur alteri ad ullas expensas, etsi causa absque ulla hujus vel alterius culpa eveniat; puta, quia sponsus v. g. ingreditur religionem; vel quia alter absque culpa, injuria belli v. g. venit ad paupertatem, aut amittit membrum, etc. Bosco, loc. cit. concl. 14; Sanchez, loc. cit. n. 33; Castro Palao, de *Sponsal.* disp. 1, punc. 33, n. 2; Ledesma, de *Matrimonio*, q. 47, a. 5, dub. 2 et alii. Ratio est, quia juste resiliens non tenetur ad expensas ratione rei acceptæ, cum, uti supponitur, nihil acceperit: nec ratione damni injuste illati; quia juste resiliendo utitur jure suo, consequenter injuste non nocet, nec alteri infert injuriam, arg. l. 55, ff. de *Reg. jur.* Nec ratione naturæ contractus; quia nupiam cautum reperitur in jure, quod juste resiliens a sponsalibus teneatur ad aliquas expensas. Quin potius natura hujus contractus de jure talis est, ut quævis pars contrahentium emergente causa possit licite resiliere; quare sibi imputare debet, si quæ pars interea expensas facit, aut periculo damni se exponit, præsertim cum utriusque partis sit æqualis conditio; nam quævis pro libitu resiliere potest; si justa emergat causa.

324. *Solvitur objectio.* — Objiciunt aliqui contra hanc conclusionem I. *Si pecuniam*. 5, ff. de *Condit. causa data*, ubi habetur, quod dans pecuniam alicui, ut iret Capuam, altero nondum profecto pœnitere quidem ac resiliere possit, ita tamen ut teneatur solvere expensas, si quas propterea fecit profecturus: ergo etiam quamvis aliquis juste ac licite, sine culpa tamen alterius, a sponsalibus resiliere possit, debet huic solvere expensas, si quas propterea fecit, præsertim, quia « non est ferendus, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. » L. un. ff. *pro secundo*, in fine, c. de *Caduc. toll.* Nam « qui sentit onus, sentire debet et commodum, et e contra, » c. 55, de *Reg. jur.* in 6, consequenter si resiliendo quis commodam sentit, sentire debet et onus in solvendi expensis.

Resp. negando, consequent. et paritatem inter casum nostrum, et eum qui in l. *Pe-*

ciam ponitur; quia in hoc non est æqualis contrahentium conditio, uti est in casu sponsalium; qui enim alteri pecuniam, ut iret, dedit, potest pœnitere, alter vero, qui pecuniam accepit, pœnitere non valet, sed cogi potest, ut erat, prout notat Glossa, ibid. 7. Sed cum. In sponsalibus autem quivis sponsorum justa emergente causa resiliere potest. Accedit, quod citato in casu l. *Pecuniam* adsit specialis juris dispositio, secus autem in casu sponsalium. (ADNOTATIO LXVII.)

§ IX.

DE MATRIMONIO METU, AUT PER ERROREM, VEL DOLUM CONTRACTO.

Secunda rubricæ hujus tituli pars est de matrimonio: de quo ampla quidem examinanda occurreret materia. Verum quia, uti ab initio hujus tituli jam meminimus, totus hic liber quartus, ejusque tituli omnes viginti unus numero de matrimonio tractant, ac insuper theologi de eodem fusissime scribunt; hinc in præsentis titulo paucis de matrimonio adductis, ea, quæ pro foro externo serviunt, et ad canonistas spectant, in subsequentibus titulis examinabimus, ea vero, quæ theologis magis propria sunt, iis relinquemus.

325. *Metu gravi initum matrimonium est ipso jure nullum.* — Quæritur I. An matrimonium metu initum sit validum? Ante responsionem notandum, metum alium esse levem, alium gravem, alium juste, alium injuste, alium ab intrinseco, alium ab extrinseco incussum. Quæ omnia, sicut et naturam metus hic supponimus ex dictis lib. I, tit. XL, de *His, quæ vi metusve causa fiunt*. H. N.

Resp. ergo I. Matrimonium initum gravi metu cadente in virum constantem a causa libera in ordine ad extorquendum illud injuste incussum, est ipso jure nullum et invalidum. Sanchez, lib. IV, disp. 12, n. 18; D. Thom. in 4, disp. 29, q. un. a. 3 et ibi D. Bonavent. q. 1, n. 5; Scotus, in 4, q. un. § un. et teste Sanch. doctores utriusque juris, cum communi et certa theologi arg. c. *Cum locum*. et c. *Veniens*. 15, h. t. juncta Glossa, ibid. 7. *Virum*. Ratio est, quia, cum matrimonium semel validum non amplius sit dissolubile, c. un. de *Voto*, in 6, et *Concilium Tridentino*, sess. 24, « de sacramento matrimonii, plena debet securitate gaudere,

ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, et sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire, » prout dicitur cit. c. *Cum locum*. 14, h. t.

326. *Si incutitur a causa libera, ab homine nempe.* — Dicitur autem notanter primo, si « causa libera, » id est ab homine; quia si a causa naturali, vel ab intrinseco proveniat timor gravis, v. g. mortis, incendii, aut alterius jacturæ gravissimæ bonorum, infamiae, et imo timore percussus quis matrimonium contrahit, validum est juxta communem, et certam, Sanchez, lib. IV, disp. 12, n. 3. Ratio est, quia tunc non impellitur homo ab homine, sed a seipso, qui matrimonium nemine urgente voluntarie eligit, ad evadendum periculum corporis, fortunæ, famæ, aut animæ. Infertur proin, matrimonium illud esse validum, quod quis init, quia timet, ne alias ob humoris abundantiam moriatur.

327. *Sive sit ipse nubere volens, sive alius.* — Cæterum non refert, an timor gravis a tali, qui matrimonio conjungi cupit, an vero ab alio homine, v. g. illius parente, fratre, consanguineo, amico, vel quocumque tandem incutiatur, Sanchez, loc. cit., num. 19; Pirhing, h. t., nu. 101, cum communi, arg. c. *Veniens*, 15, h. t. Ratio est, tum quia jura non tam in odium injuste incutientis timorem, quam in favorem libertatis matrimonii nullitatem istam statuerunt, arg. c. *Cum locum*, 14, h. t. quæ libertas æque læditur sive ab ipso cupiente nubere, sive ab alio metus gravis incutiatur. Tum quia metus, qui sufficit ad rescindendos alios contractus, sufficit ad irritandum matrimonium, ut cum Covarruvia, Navarro et communi docet Sanchez, lib. IV, disp. 6, num. 2. Atqui contractus alii rescindi possunt, per quemcumque metus inferatur, arg. l. *Si cum exceptione*, 14, § *in hac actione*, ff. de *eo quod metus causa* et amplius docet Sanchez, lib. IV, disp. 8, num. 7.

328. *Dummodo incutiatur in ordine ad extorquendum matrimonium.* — Dicitur secundo. « In ordine ad extorquendum matrimonium; » quia, si non ad hunc, sed ad alium finem metus etiam gravis et injuste incutiatur, validum est matrimonium, quod ex illo contrahitur. Sanchez, lib. IV, disp. 12, num. 3, dicens, esse certissimam apud omnes; Innocentius, in c. *Cum locum*, h. t., num. 2; Butrius, in c. *cum locum*, h. t. nu. 11, et ibi Præpositus, n. 12; Abbas, n. 9,